

# Zwei Trienter Konzilsvota (Seripando und Salmeron). 1546. — Isidorus Clarius.

Von ST. EHSES.

II.

(Schluß.)

## Alphons Salmeron Soc. J. über duplex iustitia, inhaerens oder imputata.

Trient 16. Oktober 1546.

Cod. Trident. 121 (4256) f. 119 r, cop. s. 18.

Duo nobis articuli denuo <sup>a)</sup> discutiendi et examinandi proponuntur. Primus est, an iustificatus ante tribunal Christi iudicantis productus ex una tantum iustitia operum ex caritate prodeuntium <sup>b)</sup> sit iudicandus, an vero ex duplici, nempe ex nostra iam dicta et ex illa Christi iustitia, quam imputatam vocant, supplente imperfectiones et defectus iustitiae nostrae. Ad cuius quaestionis faciliorem et clariorem <sup>c)</sup> resolutionem, non quaerendo diverticula a re proposita aliena, statuendum primo est, un<sup>i</sup>c<sup>a</sup>m esse iustitiam nobis inhaerentem seu nos informantem, sive illa sit caritas seu gratia, qua una iustus est, quicumque iustus est, teste *Augustino* lib. de nat. et gr. cap. 63 <sup>1)</sup>, per quam unam ante Deum nobis peccata remittuntur, adoptamur in filios, habemus facultatem praestandi legem. Haec autem talis ac tanta iustitia quia non inest nobis a natura, cum iniusti et natura filii irae nascamur <sup>2)</sup>, neque comparari possit ullis nostris meritis aut operibus, cum *Paulus* toties inculcet, iustificari nos „gratis per gratiam ipsius“ <sup>3)</sup>; purum Dei donum est, quod tamen Pater clementiae non confert cuiquam <sup>d)</sup> sine aliqua iustitia non nostra, sed Christi; nam in illo et propter illum eligimur, adoptamur, gratificamur, ut aperte docet *Apostolus*: *Ephes.* 1 [4 sq.].

119 v

A Christo igitur omnis nostra iustitia proficiscitur et derivatur, qui qua Deus causa est effectrix nostrae iustitiae, quia solus Deus creat et infundit in cordibus nostris hanc iustitiam inhaerentem; qua homo vero causa est meritoria; sanguine enim suo et obedientia usque ad mortem crucis promeruit ac comparavit nobis donum iustificationis, ut dicitur *Rom.* 5. Est et Christus qua homo causa finalis nostrae iustitiae; ob id enim iustificamur, adoptamur et in-

a) Wiederholt „nobis“. b) „producentium“. c) „dasiorem“. d) „cuique“.

1) *Migne* 44,284; cf. *Conc. Trid.* 5,267 oben.

2) *Ephes.* 2, 3.

3) *Rom.* 3, 24.

serimur Christo, ut simus in laudem gloriae Filii sui<sup>1)</sup> et ut glorificemus Christum corde, lingua, vita; et ob id datur Spiritus Sanctus credentibus, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris<sup>2)</sup>, quem laudantes et glorificantes in eo et per eum laudamus et glorificamus Deum.

Est tamen<sup>a)</sup> Christus causa idealis seu exemplaris nostrae iustitiae, quia ad eius imaginem, similitudinem, ideam et exemplar sumus iustificandi. Ideo scriptum est 1. Cor. 15 [49]: „Sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus<sup>b)</sup> et imaginem coelestis“, et Rom. 8 [29]: „Praedestinavit nos, conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus inter multos fratres“. Sicut enim ille mortuus est et resurrexit, ita per hanc iustificationis gratiam peccatis moriendum nobis est et iustitiae vivendum. Quam mortem et vitam docet Paulus, Rom. 6, in mysterio baptismi repraesentari, dum ait [v. 3]: „Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte<sup>c)</sup> ipsius baptizati sumus. [4] Consepulti enim sumus cum illo per baptismum [in mortem], ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus“. In qua qui ambulat, in dies Christo fit similior, quia *Dilectus* ait, 1. Joan. 3 [7]: „Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut et ille, iustus est“. A Christo ergo, fonte omnis iustitiae, proficiscitur omne donum et lumen, omnis fides, omnis spes, omnis gratia, caritas et bona quaecumque opera, cui omnia nostra bona accepta sunt ferenda<sup>3)</sup>, atque ideo nos ipsos, quidquid sumus et possumus, illi debemus, quia scriptum est: „Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno“<sup>4)</sup>. ✓

Quaeritur ergo, an ista iustitia nobis inhaerenti cum fructibus illis ornati praesentari possimus ante tribunal Christi, ita ut divinae iustitiae satisfacisse ad meritum vitae aeternae [censeamur], an opus sit adhuc Christi iustitia imputata supplente defectus inhaerentis et divino quodam et excellenti modo nos informantis. Et quia illi, qui haec pro veritate et Christi gloria zelantes moverunt, non solum dicunt, coram tribunali Christi iustitiam inhaerentem deficere et non posse nos iustos constituere, nisi addatur Christi iustitia imputata, sed etiam, quamdiu vivimus, asserunt, nos non fieri iustos nec esse ante Deum per solam inhaerentem, nisi imputata Christi suppleat, quae inhaerens non potest: ideo latius disputandum est.

Omnino reiicienda haec positio, quae asserit, per duas res nos iustificari, nempe ex parte per inhaerentem et ex parte per imputatam, sive nunc, dum<sup>d)</sup> peregrinamur, sive postea deducti ante tribunal Christi.

Primo ergo argumentor a novitate huius opinionis et inventoribus illius. Nova enim vox est ista „imputari Christi iustitia“ et omnino scripturis sanctis ignota. Etsi enim legamus, Deum non imputasse peccata, Ps. 31 [2], 2. Cor. 5 [19], et legamus, fidem imputari ad iustitiam, Gen. 15 [6], Rom. 4 [3], Gal. 3 [6]: non tamen legitur, imputari Christi iustitiam. Ignota item est vox doctoribus sanctis et antiquis, ignota doctoribus scholasticis, qui nihil non videntur cogitasse et disputasse; et certe, quod res tam necessaria ad salutem ignota fuerit toti antiquitati et patribus, et denuo his novis magistris revelata, suggillat Dei pro-

a) Wohl richtiger „tandem“. b) „possemus“. c) „mortem“. d) „Deum“.

1) Ephes. 1, 12: „Ut simus in laudem gloriae eius“.

2) Phil. 2, 11.

3) Rom. 4, 6.

4) 1 Cor. 6, 19 et 20.

videntiam. (Positio ergo haec sua novitate se improbabilem reddit, maxime quia monet *Paulus* 1. *Tim.* 6 [20]: „O Timothee, depositum custodi et profanas vocum novitates devita“.) Novi etiam sunt auctores huius sententiae, ut *Colonienses* in Antididagma te, ubi duae a) formales et essentialia iustitiae nostrae asseruntur, et prima imputata Christi et perfecta, cui soli innitendum est, altera inhaerens et imperfecta. Forte isti b) secuti sunt *Pighium*, qui in secunda controversia de iustificatione duas ponit dispositiones ad iustitiam, unam remotam per fidem, alteram propinquam et efficacem per caritatem, quam sequitur iustitia Christi imputata, qua proprie c), inquit, iustificamur. Additur etiam *Contarenus*, qui in illa sua, quae ubique circumfertur, epistola, | postquam de inhaerentis iustitiae imperfectione sermonem fecit, subdit de imputata iustitia: „Hac ergo „sola Christi iustitia imputata et stabili nobis innitendum est, quod ob eam so- lam credere, iustificari, iustos haberi et dici iustos“.)

121 r

Sed isti, quamvis pii et catholici, non tamen praeferrī debent toti antiquitati neque dare legem concilio universali. Primus tamen huius opinionis assertor et inventor fuit *Mart. Lutherus*, qui in 2. cap. epist. ad *Gal.* ita habet ad verbum d): „Fides apprehendit Christum, qui est forma, quae fidem ornat et „informat, ut color parietem, et sicuti sophistae dicunt, caritatem informare et „imbuere fidem, ita nos dicimus, Christum informare et imbuere fidem vel formam esse fidei; ergo fide Christus apprehensus et in corde habitans iustitia „Christiana est, propter quam nos Deus reputat iustos et donat vitam aeternam. „Ibi certe nullum est opus, nulla dilectio, sed longe alia iustitia et novus quidam mundus extra et super legem. Christus enim vel fides non est lex vel „opus legis“. Haec ille omnium tragoediarum nostrae tempestatis excitator. Quamvis ergo non colligatur efficax argumentum ad probandum, aliquid esse falsum, ex eo, quod aliquis haereticus illud dixerit, quia illi multa vera et evangelica suis inventis et scriptis admiscet, quae negari ab ullo catholico et orthodoxo non possunt: in rebus tamen spectantibus ad salutem nostram, cuiusmodi est iustificatio, quod haereticus aliquam veritatem novam invenerit, tanto tempore patribus ignotam, nulli sanae mentis | potest fieri probabile aut verisimile. Quare magnum certe falsitatis argumentum est, quod haec sententia de iustitia imputata a tali fonte et auctore prodierit, quem exploratissimum est, in aliis quamplurimis patenter aberrasse et spiritu erroris ductum fuisse.

121 v

Secundo argumentor a superfluitate. Frustra enim ponitur duplex iustitia, quando res potest fieri et decentius fit per unam solam, ut videmus in omnibus rebus naturalibus, quod contentae sunt una forma. Idem etiam in supernaturalibus et spiritualibus videmus. Una enim sapientia nobis a Deo infusa sumus sapientes sine alterius sapientiae Christi imputatione. Ergo

a) „duas“. b) „histi“. c) „propria“.

1) Genau lautet die angezogene Stelle in *Contarinis* Tractatus seu epistola de iustificatione (*Quirini*, Epistolae Reginaldi Poli 3, CCVI): „Hac ergo sola certa et stabili (iustitia Christi nobis donata) nobis nitendum est et ob eam solam credere, nos iustificari coram Deo, id est, iustos haberi et dici iustos“. Doch ist wohl statt „credere“ zu lesen „credendum“. Im Uebrigen vergleiche man über die Kölner (Joh. Gropper) und das Antididagma, Pigghe und Contarini Conc. Trident. 5, 487 und die andern im Register verzeichneten Stellen, über Pigghe (Pighius) noch besonders 563 Anm. 4.

2) In der (Erlanger) Ausgabe von *Irmischer* 1, 191 flg.

unica iustitia inhaerenti a Deo infusa et Christi sanguine empta et in qua vivit iustitia Christi, sufficienter sine alia iusti sumus, praesertim quia hic effectus, qui est iustificari et iustum esse et dici, totus est a Christi iustitia meritorie et totus ab inhaerenti quasi a forma, ut <sup>a)</sup> nihil quoad illum effectum faciat iustitia Christi, quod non faciat per inhaerentem.

122 r Tertio argumentor a scripturis, quae, cum de his duabus iustitiis loquuntur, non ita loquuntur, ut per ambas iustificemur et dicamur iusti ad sensum eorum, ita ut in parte iustificemur per inhaerentem et in parte per imputatam; sed ita istae iustitiae se habent, ut illa Christi iustitia sit causa inhaerentis, et quidquid facit in nobis, nonnisi per medium inhaerentis facit. Quando enim vult nos augere in iustitia, auget inhaerentem, quando perficere, perficit inhaerentem; | ideo *Rom.* 3 [24] ait *Apostolus*: „Iustificati gratis per gratiam ipsius“, ecce iustitiam inhaerentem, quae quia a Christi meritis comparata est <sup>b)</sup>, subdit de meritoria: „Per redemptionem, quae est in Christo Iesu“. Et *Rom.* 5 [17]: „Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis „abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per „unum Iesum Christum. [18] Igitur sicuti per unius delictum in omnes homines „in condemnationem, ita et per unius hominis iustitiam in omnes homines in „iustificationem vitae“. Vides ergo, Christum seu iustitiam eius causam meritoriam, et quod per eum accipimus gratiam, donationem et iustitiam quasi formam inhaerentem. Est ergo iustitia Christi ut causa, ut fons, ut sol; nostra vero inhaerens ut effectus, ut rivulus, ut radius, in quo participo eum <sup>c)</sup> fontem et solem. Idem doceri potest ex cap. 3 ad *Gal.* et ex 3 cap. ad *Philip.* et aliis quamplurimis locis scripturarum, si attente et diligenter legantur et peterentur.

122 v Quarto argumentor ex absurdis, quae ex positione praedicta sequuntur. Quorum *primum* est, quia contra omnem rectam rationem et philosophiam est, rem esse aut denominari talem per causam meritoriam seu per formam extrinsecam, quae rei non inhaereat. Hoc enim ut Platonium inventum confutat non semel Aristoteles et omnes, quotquot bene philosophantur. *Secundum* est, quia, si per merita Christi supplerent defectus inhaerentis, in quo, scilicet omnino iusto, cum sint infinita, quia a supposito | infinito profecta, omnes iusti aequaliter iusti essent, immo aequae iusti ac ipse Christus. Quia tandem cum illo iustitiam infinitam habentes ac per hoc digni ex iustitia tanta corona et beatitudine, quanta praemiatus est Christus: quivis ergo iustus deberet constitui super omnem principatum et potestatem, et in nomine eius flectendum omne genu<sup>1)</sup>, et cuivis diceret Pater: „Sede a dextris meis“ <sup>2)</sup>. Quae omnia miram cum falsitate absurditatem continent. *Tertium* est, quia re vera non essemus redempti nec sanati nec renovati. Ut enim qui tollit omnem iustitiam inhaerentem, et asserit, solum per imputationem iustitiae Christi nos iustificari, tollit veram et realem iustificationem, quia imputatio tollit de veritate et existentia: ita qui statuit, talem ac tam imperfectam esse inhaerentem, ut adhuc alia iustitia Christi imputata egeamus, re vera ponit imperfectam redemptionem et sanationem, quod repugnat mediatori Christo perfectissimo, iustitiae obedientiam suam usque ad mortem <sup>d)</sup>, perfectissimae legi eius, et adversatur eius verbis,

a) „et“. b) „et“. c) „eam“. d) Die Stelle scheint verdorben oder verstümmelt.

1) *Philip.* 2, 10.

2) *Ps.* 109, 1.

quibus dixit<sup>1)</sup>: „Si Filius vos liberaverit, vere“ non imputative, „liberi eritis“; et iterum<sup>2)</sup>: „Totum hominem sanum feci in sabbato“. *Quartum* absurdum est, quia gloria non daretur secundum mensuram iustitiae seu caritatis inhaerentis, ut omnes theologi concedunt, neque verum esset, quod „reddet unicuique secundum opera sua“<sup>3)</sup>; et rursus: „Unusquisque mercedem suam recipiet secundum suum laborem“<sup>4)</sup>; et rursus: „Qui parce seminat, parce | et metet“<sup>5)</sup>. 123 r  
Si enim secundum iustitiam imputatam sumus iudicandi seu praeniandi: cui plus imputaretur iustitia Christi, etiam si minus haberet de inhaerenti et de operibus bonis, gloriae coronam assequeretur<sup>6)</sup>, quam ille, qui multum habuit de inhaerenti et fructibus suis, et parum de imputata.

Quinto argumentor a periculo. Haec enim sententia facit homines dormire et negligenter operari negotium salutis suae et tandem, contemptis Dei donis sibi infusis, solum vana quadam fiducia tendere in iustitiam Christi imputatam; contra vero, si doceatur populus, tantum nos habere de Christo seu de eius iustitia, quantum de inhaerenti gratia seu caritate per opera fructificante: magis aestimabit hoc donum tam magnificum, diligenter illud colet et custodiet, vehementius dolebit, ubi amiserit, amissum maiori conatu laborabit recuperare. Ideo *Dilectus* docet nos magnifice sentire de hoc tanto dono, dum ait<sup>6)</sup>: „Videte, qualem caritatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et „simus“. Et *Paulus* ad exercitium et usum huius tanti doni exhortatur Corinthios<sup>7)</sup>: „Adiuvantes exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis“, et ad Timotheum scribit<sup>8)</sup>: „Propter quam causam admoneo te, ut resuscites „gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum“. Quam gratiam mox<sup>9)</sup> vocat spiritum potentis dilectionis et sobrietatis.

Sexto argumentor | a voce ipsa imputationis. Dei enim voluntas imputans nobis iustitiam Christi non ita imputat, ut totam et secundum omnem totalem eius effectum et fructum imputet, quia non egemus infinita iustitia Christi secundum omnem eius fructum, immo nec capaces sumus; ergo imputatur mihi secundum capacitatem, ut totus sol se mihi communicat, ego tamen pro capacitate participo illum. Communicat etiam se mihi totus fluvius, qui interfluit civitatem; sed ego non exhaurio totum, sed tantum pro mensura et capacitate mea. Capacitas ergo mea ad recipienda Christi merita et iustitiam secundum inhaerentem gratiam sumitur, de qua qui plus habet, magis illi imputantur seu communicantur Christi merita; qui vero minus, minus; itaque est mira correspondentia et proportio inter has duas iustitias, ita ut tantum sit de imputatione, quantum de inhaerenti, et contra tantum de inhaerenti, quantum de imputatione. | Ideo primo dicitur, quod „de plenitudine eius“, scil. iustitiae imputatae seu meritis Christi, „omnes accepimus, et gratiam pro gratia<sup>10)</sup>“, id

a) Hier ist wohl „maiores“ oder ein ähnliches Wort einzuschalten.

1) Jo an. 8, 36.

2) Jo an. 7, 23.

3) Matth. 16, 27; Rom. 2, 6.

4) 1. Cor. 3, 8.

5) 2. Cor. 9, 6.

6) 1. Jo an. 3, 1.

7) 2. Cor. 6, 1.

8) 2. Tim. 1, 6.

9) Ibid. 1, 7.

10) Jo an. 1, 16.

est, per mensuram inhaerentis gratiae gratiam meritorum Christi. Et *Ephes.* 4 [7] docet *Apostolus*: „Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi“: scil. dantur dona infusa secundum quod placuit Deo, mensurate nobis imputare merita Christi. Et de augmento in Christo subdit, ex augmento donorum maxime caritatem consurgere, dicens<sup>1)</sup>: „Veritatem autem facientes in | caritate crescimus, in illo per omnia, qui est caput Christus, „ex quo totum corpus compactum et connexum a) per omnem iuncturam sub- „ministrationis b) secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri. au- „gumentum corporis facit in aedificationem sui [in caritate] c)“. Ex quo habes, augmentum nostri ex caritate consurgere, et in quovis secundum mensuram uniuscuiusque membri. Ideo nos in scripturis sanctis non mensuramur secundum mensuram iustitiae imputatae, sed secundum mensuram inhaerentis. Ait enim *Apostolus* d): „Gratia Dei sum id, quod sum“; et e) „Si caritatem non habuero, nihil sum“; et *Dilectus* f): „Videte, qualem caritatem dedit nobis Deus, ut filii Dei“ etc. Frustra ergo ponitur iustitia imputata, quasi per se ipsam suppleat in nobis, quod non potest deficere inhaerenti.

Septimo argumentor a c o m m e n d a t i o n e g r a t i a e D e i. Illa enim sententia venerabiliter est acceptanda, quae magis commendat gratiam Dei et liberalitatem eius, et praeferenda ei, quae non tantum commendat. Sed ista, quae ponit unam iustitiam inhaerentem, hoc magis efficit quam altera, quae ponit duas. Rationabiliter ergo est illa anteponenda. Probatur minor huius syllogismi, p r i m o, quia maius beneficium et excellentius donum est, ita ditari et sanari, ut plene sim dives et integre sanus, quod fieri dicimus per inhaerentem solum, quam ita ditari, ut ex parte sim dives, et, quod deest, suppleatur per imputationem, quod dicit secunda opinio. S e c u n d o |, quia magis Deus glorificatur dando formas, per quas [homines] tendant in actiones, quibus assequantur fines suos, quia magis communicat bonitatem suam et causalitatem, dando illis, ut faciant, quam si ipse ut per se ipsum, ut posset, omnia faceret. Ergo magis laudatur Dei gratia, si asseramus, vim habere plene iustificandi, quam d) si ipse Christus per se ipsum faceret, ut posset. T e r t i o, quia magis nos facit Deus subditos ac magis agnoscere suam caritatem, dum tanto dono ditati cognoscimus egere continuo iustitia e) Christi, ut assistat, ut conservet, ut sol radios, ut perficiat. Tanto enim aliqua creatura magis eget Deo et illius favore, quanto est perfectior, ut magis eget Deo Seraphin quam alius inferior angelus, et hic quam homo, et hic quam f) animal, et hoc quam f) planta, et haec quam f) saxum, quia plura habet, quae amittat, nisi Deus custodiat. Ditati ergo hoc thesauro iustitiae inhaerentis, quem circumferimus in vasis fictilibus g), ad quem h) depraedandum mundus, caro, daemones insidiantur: quis nostrum custodiret nisi ille, de quo scriptum est h): „Nisi dominus aedificaverit civitatem“ etc.; quis augeter aut perficeret nisi Christus, ad quem di-

a) „consumptum“. b) „administrationis“. c) „per caritatem“. d) „quod“. e) „iustitiam“. f) „quod“. g) „quod“.

1) *Ephes.* 4, 15 sq.

2) 1. *Cor.* 15, 10.

3) 1. *Cor.* 13, 2.

4) 1. *Joan.* 3, 1.

5) 2. *Cor.* 4, 7.

6) *Ps.* 126. 1; lege „custodierit“.

xerunt apostoli<sup>1)</sup>: „Domine adauge nobis fidem“? Ponentes autem imputationem non ita ditant iustificatum nec ita faciunt pendere a Christi iustitia. Quarto quia haeretici, sicuti sub pallio laudandi fidem derogant bonis operibus, sub pallio magnificandi gratiam detrahunt libero arbitrio, sub [pallio] exaltandi Christum advocatum tollunt sanctorum invocationem, et ita derogant ipsi fidei, gratiae et Christo Domino: ita sub pallio commendandi iustitiam Christi imputatam extenuant inhaerentem, quod nihil est aliud quam derogare ipsi iustitiae Christi, quae hanc nobis inhaerentem. per quam dignificamur et perficemur, promeruit. |

125 r

Sed quoniam adversarii pro sua tuenda opinione aliquas rationes habent, breviter sunt recitandae ac resolvendae.

Primo ergo obijciunt, quod dicitur: „Nobis datus“, *Js.* 9 [6], *Rom.* 8 [32]; dicitur: „Iustitia nostra“, *1. Cor.* 1 [30]. Ad quod respondeo, verissimum esse, Christum nobis datum, sed in donis suis, quia contulit nobis divitias suas, dignitates, perfectiones suas, iustitiam suam, merita sua, nomen suum; sed non in plenitudine nisi in capacitate iustitiae inhaerentis. Dicitur a *Paulo* iustitia nostra, quomodo dicitur pax nostra, non formaliter, sed meritorie, quia fit [!] utraque unum; ita etiam dicitur lux, veritas, vita, resurrectio, quia auctor, fons, origo et radix nostrae lucis, veritatis, vitae, resurrectionis. Ita etiam *Paulus*, ubi ait, Christum esse nostram iustitiam, addit, quod est sapientia nostra, sanctificatio et redemptio; at sapientia non est, nisi quia dat nobis os et sapientiam, ut apostolis pollicitus est<sup>2)</sup>. Sanctificatio etiam nostra est, quia sanctificavit populum sectatorem bonorum operum<sup>3)</sup>. Redemptio nostra est, quia redemit nos et tradidit se ipsum pro nobis. Ad hunc modum dicitur iustitia nostra, non solum, quia sanguine suo iustitiam nostram promeruit et suis meritis conservat, sed etiam, quia in nostra inhaerenti, ab illa iustitia Christi exemplata, vivent merita iustitiae Christi

125 v

Secundo obijciunt, quia Christianis habentibus iustitiam inhaerentem dicitur a *Paulo*<sup>4)</sup>: „Induimini Dominum nostrum Jesum Christum“, et: „Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est“<sup>5)</sup>. Ergo non satis est iustitia inhaerens, nisi eius defectus suppleantur per Christi iustitiam. Respondeo, non aliter iustificatum induere Christum, et induere arma lucis<sup>6)</sup>, quae virtutes sunt Christianae et divinae, ut dicitur a *Paulo* 6. ad *Ephes.* Et quod hoc sit verum, clarissime convincitur ex cap. 3. ad *Col.*, ubi, postquam dixit Apostolus [v. 9]: „Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, „qui [creatus est]“<sup>7)</sup> in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum“, et mox declarans, quid sit induere novum, subdit [v. 12]: „Induite vos sicut „sancti et electi Dei, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, patientiam“. Vides ergo, idem esse induere Christum seu novum hominem, quod est in donis eius augeri seu in virtutibus proficere<sup>8)</sup>, sicuti etiam exuere vete-

a) „perficere“.

1) *Luc.* 17, 5.

2) *Luc.* 21, 15.

3) *Tit.* 2, 14.

4) *Rom.* 13, 14.

5) *Ephes.* 4, 24.

6) *Rom.* 13, 12.

7) *Vulg.* „renovatur“.

126 r

rem hominem in eodem loco Pauli idem est quod mortificare membra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem. Ad hunc etiam modum nil aliud est, Christum esse aut habitare in nobis, quam credere in illum, amare illum, sicut scriptum est, habitare Christum per fidem in cordibus nostris<sup>1)</sup>. Est enim cognitum in cognoscente |, sicut amans in amato; propterea ait *Dilectus*<sup>2)</sup>: „Deus caritas est, et qui manet in caritate“ etc. Manemus autem in Deo per specialem amorem, quo illum ut patrem diligimus, veneramur ac invocamus; manet ille in nobis per singularem dilectionem, qua nos ut filios sibi caros ob bona gloriae respicit et probat.

126 v

*Tertio* obiiciunt, quod<sup>a)</sup> iustitia inhaerens est imperfecta et cum multis defectibus; ergo, ut isti defectus suppleantur, opus est iustitia Christi. Respondeo: Imprimis falsum est, quod sit imperfecta, cum sit opus Dei purum, a Christo comparata margaritae et thesauro<sup>3)</sup> et vesti nuptiali<sup>4)</sup>, de qua *Petrus*<sup>5)</sup>: „Et maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per illa efficiamur „consortes divinae naturae“. Hanc vocat *Paulus*<sup>6)</sup> „vinculum perfectionis“, et *Dilectus* vocat perfectam; ait enim<sup>7)</sup>: „Si diligimus invicem, Deus in nobis „manet, et caritas eius in nobis perfecta est“. *Augustinus* etiam in plerisque locis<sup>8)</sup> illam vocat perfectam secundum meritum viae. *D. Thomas* in prima secundae<sup>9)</sup> et in secunda secundae testatur, quod gratia seu caritas, licet sit quoddam accidens, est tamen dignior et perfectior ipsa anima, quae illam recipit. Si vero intelligunt, quod est imperfecta iustitia inhaerens comparatione illius iustitiae Christi, hoc si dicant, nil facit ad propositum, quia etiam illa Christi, qua homo, imperfecta est, si conferatur ad divinam, quae Deus est; et quavis iustitia viatoris seu beati quantumcumque perfecti imperfecta | esset, si comparetur ad iustitiam alicuius alterius viatoris vel beati maiorem et excellentiorem. Immo in hoc sensu ait *Salomon*: „Solutus Deus iustificatur“<sup>10)</sup>, et *Christus*: „Nemo bonus nisi solus Deus“<sup>11)</sup>, et *Job* [25, 5]: „Stellae non sunt „mundae in conspectu eius“, et vere scio [v. 4], quod non iustificabitur“, homo comparatus Deo“, et [9, 30]: „Si lotus fuero quasi aquis nivium, et fulserint velut mundissimae manus meae, tamen sordibus<sup>b)</sup> intinges me“. Immo si iustitia inhaerens par esset ut<sup>c)</sup> aequalis illi iustitiae Christi, cuius est effectus, imperfecta esset, quia non debet esse illa minor et inferior. Si autem contendant, inhaerentem iustitiam ob id esse imperfectam, quia non tollit defectus et imperfectiones veniales: dico, quod hoc argumentum in eos retorquetur; nam eadem ratione et iustitia Christi imputata esset imperfecta, quia non tollit

a) „quae“. b) „sordidum“. c) Wohl statt „vel“.

1) Ephes. 3, 17.

2) 1. Joan. 4, 16.

3) Matth. 13, 44 u. 45.

4) Matth. 22, 11.

5) 2. Petr. 1, 4.

6) Col. 3, 14.

7) 1. Joan. 4, 12.

8) Vergl. Conc. Trid. 5, 267 Z. 2 flg.

9) Quaestio 110 art. 2. ad 2: „... est tamen (gratia) nobilior, quam natura animae“.

10) Eccclus. 18, 1. „Deus solus iustificabitur“.

11) Luc. 18, 19.



venialia; nam qui se per illam iustos asserunt, opus habent, non tam ex humilitate quam ex veritate dicere: „Dimitte nobis debita nostra“<sup>1)</sup>. Dico ergo, quod veniales defectus, licet stent cum caritate et iustitia inhaerente, non tamen prodeunt ab illa, sed ex affectibus veteris hominis, quos interdum sequimur.

a) Non solum non peccaremus, sed neque peccare aut labi possemus. Ait enim Salvator<sup>2)</sup>: „Non potest arbor bona malos fructus facere“, et *Dilectus* [I, 3, 9]: „Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in „eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est“. Dico etiam, quod contra huiusmodi defectus et culpas plurima habemus remedia, ut perfecte pro illis Deo satisfaciamus], et in primis est ipse fervor caritatis, quae „operit multitudinem peccatorum“<sup>3)</sup>, adeo quod per actus eius applicamus nobis merita Christi ad extinguenda huiusmodi venialia; et ideo ait „*Dilectus* [I, 1, 7]: „Si autem in luce ambulamus, sicuti ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Christi emundat nos ab omni peccato“, sc. veniali, non mortali; nam non ambulamus in luce, nisi quando proficimus in caritate, in qua Christus perfectus est nec [I] in illa ambulat, et per illam societatem habebimus ad invicem. Cum ergo ambulamus in operibus caritatis, sanguis Christi emundat nos ab his peccatis levibus et minutioribus. Est secundo contra haec peccata humilis confessio et oratio Dominica, quae coram Deo pro venialibus satisfacit, teste *Augustino* non in uno loco<sup>4)</sup>, de qua etiam *Joannes* ait [I, 1, 8]: „Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos „seducimus“. Est ergo sermo de venialibus, quia se confirmatum in gratia hoc sermone etiam includit, et ideo subdit [v, 9]: „Si confiteamur peccata nostra, „fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra“. [Quando autem confitemur peccata nostra]<sup>b)</sup>, nisi cum dicimus: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?“ Quando porro dimittit ut iustus et fidelis peccata nostra, nisi quando ut filiis orantibus donat nobis peccata, quia pepigit nobiscum<sup>5)</sup>: „[Si] enim dimiseritis hominibus peccata illorum, dimittet et vobis [Pater vester coelestis] peccata vestra“? — Pluribus etiam aliis modis remittuntur nobis venialia, ut per sacrificium c) Eucharistiae et extremæ unctionis, ut docent theologi; quare non est ulla ratione concedendum, | imperfectam esse inhaerentem iustitiam, quod defectus veniales non tollat, quia illi nec a caritate proficiscuntur et per [eius actus]<sup>d)</sup> omnino extinguuntur. — Si denique imperfectam dicunt inhaerentem, quia actus, qui ab ea prodeunt, non sunt perfecti, quia fiunt remisse et negligenter neque cum tanta alacritate spiritus et promptitudine animi operantis: respondeo: Etsi hic defectus plerumque inveniatur in operibus nostris, non propterea tamen imperfecta est talis iustitia, ut compareat coram Dei tribunali, quia remissae operationes praemiabuntur et minori corona, ferventes vero et alacres maiorem mercedem

127 r

127 v

a) Hier fehlt ein Vordersatz. b) Diese oder ähnliche Worte sind hier im Zusammenhange zu ergänzen. c) Scheint verlesen statt „sacramentum“. d) Die Vorlage hat „eiuctus“.

1) Matth. 6, 12.

2) Matth. 7, 18.

3) 1. Petr. 4, 8.

4) Man vergl. z. B. die Stelle aus Ser. 181 cap. 6 nr. 8 bei *Migne* 38, 983; *Conc. Trident.* 5, 529 Anm. 1.

5) Matth. 6, 14.

obtinebunt. Sic scriptum est<sup>1)</sup>: „Unusquisque mercedem accipiet secundum „suum laborem“, et<sup>2)</sup>: „Qui parce seminat, parce et metet“.

128 r Quarto obiiciunt, quia mores<sup>a)</sup> huius inhaerentis iustitiae sunt rusticani, viles et menstruati et filiis Dei indigni, et ideo recurrendum ad Christi iustitiam, per quam suppleatur, quod nostris operibus imperfectis deest. Sed facile hoc solvitur, dicendo, quod iustitia humana, quae prodiit ex propriis viribus et natura nostra corrupta, illa procul dubio rusticana est, vilis et omnino menstruata ac per hoc filiis Dei indigna. Haec enim iustitia proficiscitur a filiis Adae vere rustici, cui dictum est<sup>3)</sup>: „Maledicta terra in opere tuo; spinas et „tribulos germinabit tibi, et in sudore vultus tui vesceris pane tuo“. Iustitia vero inhaerens facit veros filios Dei et „naturae divinae consortes<sup>4)</sup>“, de quibus *Apostolus* in spiritu exsultans ait<sup>5)</sup>: „Fratres, iam non estis hospites et „advenae“ vel rustici, ut isti fingunt | „sed estis cives sanctorum et domestici „Dei“. Opera non rusticana aut menstruata dicuntur in scripturis, sed quam magnis<sup>b)</sup> titulis ornantur. Dicuntur enim bona, iusta, sancta, munda, pura, recta, perfecta, electa, lucida, plena, digna, pretiosa, placita Deo, opera Dei, ut facile in scripturis diligens lector colligere poteris.

128 v Quinto obiiciunt, quod per hanc iustitiam inhaerentem non audebimus apparere ante tribunal Christi, si practice, sine speculatione res tractetur, et quod formidandum est illa die iustus maxime, si ad opera sua imperfectionibus et defectibus plena oculos convertant, et ideo dicunt, recurrendum esse ad iustitiam Christi imputatam et eius merita, quibus nostri defectus tegantur. Quam positionem muniunt nonnullis: primo *Petri* [I, 4, 18]: „Et „si iustus vix salvatur, impius et peccator ubi parebunt“ c)? Secundo: „Non „iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens“<sup>6)</sup>; tertio: „Si iniquitates ob- „servaveris, Domine, Domine, quis sustinebit“<sup>7)</sup>? Quarto *Prov.* 20 [8 sq.] iuxta editionem LXX sic habetur: „Cum sederit rex in solio maiestatis suae: „quis gloriabitur, se mundum habere cor.“? Quinto: „Cum accepero tempus, „ego iustitias iudicabo“<sup>8)</sup>. Ergo quid sunt iustitiae nostrae nisi iniustitiae vel iustitiae menstruatae<sup>9)</sup>? Sexto producitur *Augustinus* lib. 9. *Confess.*<sup>10)</sup>: „Vaeh hominum „vitae quantumcumque laudabili, si remota pietate discutiatur“. *Bernardus* etiam, qui ita habet: „Pro minimo reconciliari possumus. Pro minimo, inquàm, non tamen „sine poenitentia, attamen quia minimum sit ipsa nostra poenitentia. Pauperes su- „mus, parum dare possumus; attamen reconciliari possumus pro parvo illo | „si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est; illud si de- „dero, satis est; si quo minus est, addo et corpus ipsius. Nam illud de meo „est et meum est; parvulus enim natus est mihi et filius datus est mihi. De te,

a) „mors“. b) „magicis“ c) „apparebunt“.

1) 1. Cor. 3, 8.

2) 2. Cor. 9, 6.

3) Gen. 3, 17. sq.

4) 2. Petr. 1, 4.

5) Ephes. 2, 19.

6) Ps. 142, 2.

7) Ps. 129, 3.

8) Ps. 74, 3.

9) Cf. Is. 64, 6.

10) Cap. 13, nr. 34. Migne 32, 778.

„Domine, suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio, o satisfactio suavissima, o vere reconciliatio facilis, sed perutilis satisfactio parva, sed non parvipendenda“<sup>1)</sup>. *S e p t i m o*, quia instante morte non solet homo confugere ad iustitiam inhaerentem, neque ad vitam iustam anteactam vel ad opera bona, sed ad Christi passionem et misericordiam; ergo imperfecta est nostra iustitia inhaerens ad constituendum nos iustos coram tribunali Christi.

Sed haec positio licet in speciem aliquam veritatis apparentiam habere videatur, in multis tamen deficere ostenditur. *P r i m o* quia practice loquendo sancti et filii Dei in die iudicii non trepidabunt aut formidabunt, cum scriptum sit<sup>2)</sup>: „Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustia-  
verunt“, et: „Iustus sicut leo confidens absque terrore erit“<sup>3)</sup>, et: „Non conturbabit iustum, quidquid ei acciderit“<sup>4)</sup>, et: „Qui ambulat simpliciter“ ut iustus, cui dictum est a Christo: „Estote simplices sicut columbae“<sup>5)</sup>, „ambulat confidenter“<sup>6)</sup>. Et de viro iusto ait *David*<sup>7)</sup>: „In memoria aeterna erit iustus; ab auditione mala non timebit“, id est, a voce illa: „Ite maledicti“<sup>8)</sup>, ut sancti exponunt. Qui autem omnes isti iusti nisi illi, de quibus *Matth.* 25 [34]: „Tunc dicet rex iustis: Venite benedicti“? Quomodo timebunt apostoli, | de quibus dixit Salvator<sup>9)</sup>: „In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel“? Timebunt certe timore reverentiali et filiali et admirationis sanctae in die iudicii; sed hic etiam erit in beatis et aeternus, neque poenam ullam habet, de quo *David*<sup>10)</sup>: „Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi“.

129 r

*S e c u n d o* fallit in eo, quod dicit, sanctos formidaturos, si respiciant ad opera sua in die iudicii, quia omnino vincitur in contrarium ab scripturis. Et *p r i m o Dilectus* [I, 2, 28]: „Et nunc, filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam et non confundamur ab eo“. Ecce nasci fiduciam in sanctis, quia manserunt in Christo. Manent autem in eo, ut ipsemet declarat in eodem capite [v. 6]: Qui ambulant, sicut ipse ambulavit, vel, ut ipse in evangelio suo cap. 15 [10]: Qui manent in dilectione et servant eius praecepta. Idem et ait<sup>11)</sup>: „Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii“, et reddens rationem fiduciae ait, „quia sicuti ille est purus, mundus, immaculatus et in caritate, et nos sumus, in hoc mundo. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit

1) *Bernardus*, ser. 1. in Epiph. Domini cap. 4; *Migne* 183, 144; genau in *Conc. Frid.* 5, 486/7.

2) *Sap.* 5, 1.

3) *Prov.* 28, 1.

4) *Prov.* 12, 21.

5) *Matth.* 10, 16.

6) *Prov.* 10, 9.

7) *Ps.* 111, 7.

8) *Matth.* 25, 41.

9) *Matth.* 19, 28.

10) *Ps.* 18, 10.

11) *Joan.* 4, 16. sq.

„timorem, quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in „caritate“. Haec *Dilectus*. Cum ergo sancti in die adventus Domini perfecti sint in caritate, cum amplius non possit augeri: sequitur, quod nulla ratione  
 129 v et consideratione operum habeant | trepidare. Secundo princeps apostolorum *Petrus* [II, 3. 11] de die adventus Domini ita ait: „Cum igitur haec „omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et „pietatibus, [12] exspectantes adventum Domini nostri Jesu Christi? [14] Quapropter, carissimi, haec exspectantes satagite immaculati et irreprehensibiles“, quos nec ipse deus Momus queat vel in minimo reprehendere, praestante hoc Christo Domino, de quo ait *Paulus*, 1. *Cor.* 1 [4]: „Gratias ago Deo meo pro „vobis, [5] quod in omnibus divites facti estis in illo, [7] ita ut nihil vobis desit „in ulla <sup>e)</sup> gratia, exspectantibus diem Domini nostri Jesu Christi, [8] qui et „confirmabit vos usque in finem sine crimine in die [adventus] Domini nostri „Jesu Christi“. Quid quaeso clarius? Idem etiam *Philip.* 1 [3]: „Gratias ago „Domino in omni memoria vestri, [6] confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis bonum opus, ipse perficiet usque in diem Christi“, et post pauca [9]: „Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in omni scientia et in „omni sensu, [10] ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi Jesu, [11] repleti fructu iustitiae per Iesum Christum in gloriam et laudem Dei“. Tertio *Paulus* ad *Tit.* 2 [11] ita ait: „Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus  
 713, 148  
 -40  
 130 r „hominibus, [12] erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria „sobrie et pie et iuste vivamus in hoc saeculo, [13] exspectantes beatam spem „et adventum | gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi“. Ecce quod pia, sobria et iusta vita facit cum gaudio exspectari sine timore diem Domini modo, dum sumus in via, quanto magis finita via in die Domini. Ideo *Paulus*, de se practice loquens, in certissimae fiduciae verba prorupit, cum dixit<sup>1)</sup>: „Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in „reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in die „illa, iustus iudex, non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum „eius“. Quomodo ergo timere poterit *Paulus* ab operibus, qui hic in eis exsultat et ex quibus tantum fiduciae concepit? Quarto *Christus Dominus Ioan.* 3 [20] ait: „Omnis, qui male agit, odit lucem, ne arguantur opera eius; „[21] qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, „quia in Deo sunt facta“. Ergo sancti deducti ante lucem divini iudicii non trepidant ab operibus, quae in Deo operati sunt. „Secura enim mens, quasi „iuge convivium“<sup>2)</sup> et „gloria nostra, hoc est testimonium conscientiae nostrae“<sup>3)</sup>, et cogitationes, sicut accusabunt impios in iudicio, ita excusabunt et defendent pios, ut dicitur *Rom.* 2. Non est ergo, quod ab operibus suis quovis modo sancti timeant in iudicio, aut propter tenuitatem iustitiae inhaerentis. „Quinto quia ritus baptismi ita habet: „Accipe vestem candidam immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi“: ergo cum inhaerente iustitia potest quis sine timore praesentari in iudicio, et cum fructibus illius, qui sunt  
 130 v bona opera |, quae consequuntur eos, qui in Domino moriuntur, teste *Io-*

a) „nulla“.

1) 2. *Tim.* 4, 7 et 8.2) *Prov.* 15, 15.3) 2. *Cor.* 1, 12.

anne evangelista<sup>1)</sup>, et in quibus debet [homo] commendare animam suam Deo, teste B. *Petro* [I, 4, 19].

Tertio fallit haec positio in eo, quod putat, practice loquendo, quod in die iudicii eisdem oculis habemus respicere opera nostra bona, quibus modo videmus. Nunc enim in praesenti peregrinatione non expedit, multum respicere ad bene facta nostra, primo ne latenti vanae gloriae veneno inficiamur, secundo ut augeamur in virtute humilitatis, tantum a Christo celebratae. Illa enim condit omnes virtutes et auget, ob quam nunc expedit, magis ad imperfectiones [respicere] et, cum fecerimus omnia, quae praecepta sunt nobis, dicere: „Servi inutiles sumus“<sup>2)</sup>. Tertio quia status praesens requirit esurium et sitim iustorum, ut dicit Dominus<sup>3)</sup>. Et *Ioannes*<sup>4)</sup>: „Qui iustus est, iustificetur adhuc“. Et *Salomon*<sup>5)</sup>: „Non verearis iustificari usque ad mortem“. Ideo more viatorum non tantum retrospiciendum nobis, ut videamus, quantam partem viae fecimus, sed indefesso animo anhelare ad id, quod superest perficiendum, quia grandis nobis restat via<sup>6)</sup>. Hinc illa *Pauli* vox<sup>7)</sup>: „Quae<sup>a)</sup> retro sunt obliviscens, ad anteriora me converto“. Et illa rursus sanctissimi *Davidis*<sup>8)</sup>: „Et dixi: Nunc coepi“. Hoc ergo tollit omnem negligentiam, torporem in operando; nam et Deus, quo magis editur, magis esuritur; quanto plus cognoscitur ac diligitur, desideratur, cognoscitur ac diligitur<sup>b)</sup>. Quarto, quia bona, quae nunc habemus, tenui cognitione percipimus et probabili, et, si maiori fidei notitia | apprehenderemus, [tunc videremus] c), nos illa posse perdere, quamobrem scriptum est, 1. *Cor.* 10 [12]: „Qui stat, videat „ne cadat“. Ob eas causas non expedit, nunc ad praeteritas iustitias nostras et bona et pia opera convertere, et si quando converteremus mentis oculos ad illa, ita nos gerere oportet, ac si illa sciendo nesciremus uel videndo non videremus, ut docet *Gregorius*<sup>9)</sup>. Quia ergo in iudicio, apparendo ante Christum, cessant omnes istae causae, cum ibi iam non sit locus insidianti vanae gloriae, non sit amplius agenda vel humilitas vel iustitia, nec ullus amittendi bona nostra pavor adsit, nec intuitu humano illa cernamus, sed divino: procul dubio nulla ratio est, cur sancti timere habeant ab operibus bonis, quae sine periculo cerne[re] possunt et divinis quibusdam oculis, considerando eorum dignitatem, pretium et valorem, quae opera habent a Dei pacto et Christi sanguine, quo sunt ornata.

Quarto fallit haec positio docendo inanem recursum in die iudicii ad iustitiam Christi, quia tunc non est tempus amplius emendi oleum, ut dictum est virginibus insipientibus, *Matth.* 25, et operariis iniquitatis, qui appellantes

a) „Quod“. b) Der Schlusssatz scheint unvollständig. c) „tam videmus“.

1) *Apoc.* 14, 13.

2) *Luc.* 17, 10.

3) *Matth.* 5, 6.

4) *Apoc.* 22, 11.

5) *Ecclus.* 18, 22.

6) 3. *Reg.* 19, 7.

7) *Philip.* 3, 13.

8) *Ps.* 76, 11.

9) *Moralium lib. 22 cap. 6 nr. 13*: Habent itaque proprium sancti viri, ut bona quidem, quae agunt, videant et tamen, cum peregerint, ab eorum memoria oculos avertant. *Migne* 76, 220.

fallt

131 r

713 408

ad Christi misericordiam et iustitiam non exaudiuntur, sed cum pudore reiciuntur, de quibus Dominus, *Matth.* 7 [22]: „Multi dicent mihi in die illa: Domine, „nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et „in nomine tuo virtutes fecimus? [23] Et tunc confitebor illis: Quia nunquam  
 131 v „novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem“. Ergo periculosum est, tunc recurrere ad iustitiam seu misericordiam Christi, quae hic dum vivimus, inveniri potest<sup>1)</sup>, de qua *Paulus* testatur ad *Hebr.* 4 [16]: „Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae eius, ut misericordiam consequamur „et gratiam inveniamus in auxilio opportuno“. Hic etiam recursus ad iustitiam imputatam tollit purgatorium. Si enim purgantur omnes defectus venialium et poenae pro peccatis debitae, quot sunt iam purgati et mundati egent recurrere ad Christi iustitiam<sup>a)</sup>.

Quinto fallit haec positio in propositarum scripturarum ad contrarium sensum fulciendum intelligentia. Ad 1. [4, 18] *Petri* enim dicimus, quod ibi non est sermo de iusto in die iudicii, quia iniustus esset Deus, *Hebr.* 6 [10], si oblivisceretur laboris ex caritate suscepti; sed est sermo de iusto, quamdiu vivit et peregrinatur, quia per tribulationes et labores salvatur, sicut scriptum est<sup>2)</sup>: „Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur“. Et quod hic sit sensus intentus, patet ex praecedentibus apud *Petrum* [v. 15]: „Nemo vestrum patiat ut fur et homicida; [16] si autem ut Christianus, non „erubescat, glorificet autem Deum in nomine isto, [17] quoniam tempus est, „ut incipiat iudicium a domo Dei; si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei evangelio“? Vides ergo manifeste, loqui *Petrum* de laboribus et correptionibus, quibus in praesenti vita filii Dei affliguntur, ut purgentur. Idem probatur ex loco *Prov.* 11 [31], quem citat *Petrus*; ita enim  
 713, 51ff  
 132 r | habet: „Si iustus in terra recipit, quanto magis impius et peccator“, id est, recipient. Nihil ergo facit hic locus ad probandum, iustos formidaturos in die iudicii.

Ad secundum respondeo, quod similiter non est verum, quod in conspectu Dei nemo sit iustus, cum *Luc.* 1 [6] *Zacharias* et *Elisabeth* iusti ante Dominum dicantur, et *Abel* *Hebr.* 11 [4] testimonium habuit a Deo, quod erat iustus; ergo sensus loci *Psalmi* [142, 2] venandus est ex circumstantiis *Psalmi*, cuius titulus est iuxta 70 interpretes: „*Psalmus David*, quando persequabatur eum „filius“, ex quo habemus, quod poenitentialis sit hic *Psalmus*. Nam *Absalon* filius ob peccatum adulterii et homicidii persequabatur eum, Deo permittente; quare in hoc *Psalmo* persona[m] peccatoris induit *David*; at postquam praefatus est [v. 1]: „Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem [meam] in veritate tua, exaudi me in tua iustitia“, subdit: „Et non intres „in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens“. Id est, ut exponit *Augustinus*<sup>3)</sup>, omnis vivens in Adam et peccator necdum cum Christo mortuus peccato; verum iustificatus, in quo vivit Christus, ut ait *Paulus* ad *Gal.* 2 [20]: „Vivo ego, non iam ego, vivit vero in me „Christus“, non formidat comparere ante tribunal Christi. Beatus etiam *Augustinus* in lib. 2. de pecc. mer. et remiss. cap. 10<sup>4)</sup> exponit, neminem hic,

a) Der Nachsatz ist gewiss unvollständig.

1) J. s. 55, 6.

2) 2. Tim. 3, 12.

3) Enarr. in Ps. 142, 2; *Migne* 37, 1848[9].

4) *Migne* 44, 158 flg.

dum vivit, iustificari plene ante Deum propter levia et venialia peccata, quibus vita quantumlibet iusti vere infecta est. Verum alia est ratio, quando comparabimus ante tribunal Christi, iam purgati ab omni defectu et non solum sine macula | , verum sine ruga.

132 v

Ad tertium locum *Davidis* breviter dico, quod loquitur de peccatorum vita, ad quam si respiceret [Deus], omnes damnaremur; secus si conspiciamur coniuncti Christo, et opera nostra considerentur in Christo et misericordia eius, quia ubi intravimus [!] Christum redemptorem, iniquitatum nostrarum non recordatur amplius, et ideo, ut hunc sensum eliceret, subdit<sup>1)</sup>: „Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel“.

Ad quartum locum, *Prov.* 20 [9], respondet *Grisogonus*<sup>2)</sup> in quadam homilia, quod nemo potest dicere: Mundum est cor meum et purus sum a peccato ex me ipso aut viribus meis; secus ex gratia et benignitate Dei. Quia dixit *Ioan.* 15 [3]: „Vos iam mundi estis propter sermonem“, et: „Fide purificans“<sup>a)</sup>, *Act.* 15 [9], et *Paulus* 1. *Cor.* 6 [11]: „Sed abluti, sed iustificati estis“, et ad *Hebr.* 12 [14]: „Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam“, id est, munditiam, „sine qua nemo videbit Deum“. Et 1. *Thess.* 3 [12]: „Vos autem „Dominus multiplicet, et abundare faciat caritatem vestram in invicem et in „omnes, quemadmodum et nos in vobis, [13] ad confirmanda corda vestra sine „querela in sanctitate ad Deum et Patrem in adventu Iesu Christi cum omnibus sanctis eius“. Ergo multi ex gratia Dei et favore dicere poterunt: „Mundum est cor meum, Domine, et purus sum a peccato“.

Ad quintum vero locum dicendum, quod Christus iustus iudex non damnabit opera bona in iudicio, sed praemiabit illa in vita aeterna, ut dicitur *Matth.* 25 [35]: „Quia esurivi, et | dedistis“ etc. Ideo audeat *David* dicere<sup>3)</sup>: „Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam et secundum innocentiam meam „super me“, et alibi<sup>4)</sup>: „Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam“. Quando ergo ait<sup>5)</sup>: „Ego iustitias iudicabo“, intelligit apparentes et fictas quasdam iustitias humanas, ut ieiunia, elemosynas cum tubae cantu, orationes longas ex hypocrisi factas in angulis platearum, quas Dominus illo die ut impias damnabit<sup>6)</sup>, „quia quod altum est apud homines, abominabile est apud „Deum“. *Luc.* 16 [15].

133 r

Ad sextum argumentum, continens *Augustini* auctoritates, sigillatim respondendum est. Ad primam ergo *Augustini* sententiam dicendum est cum glorioso martyre *Roffensi*<sup>7)</sup>, quod loquitur de tota vita iustificati, in qua multae

*Grafelbaum*

a) „purissimus“.

1) P s. 129, 7 und 8.

2) So die Handschrift. Das Original dürfte wohl Chrysologus gehabt haben, in dessen *Serm.* 70 und 111 (*Migne* 52, 400 und 507) sich ähnliche Gedanken finden, jedoch ohne Bezug auf *Prov.* 20, 9.

3) P s. 7, 9.

4) P s. 17, 21.

5) P s. 74, 3.

6) *Matth.* 6, 1 und 2.

7) *Assertionis Lutheranae confutatio*. Articulus 31. (Opera Wirceburgi 1597 col. 625): Verumtamen haud negat (S. Augustinus), quia propter alia, quae deliquerat, si tota matris vita discuteretur exactius, non posse Dei severum sustinere iudicium.

sunt maculae, lapsus et defectus, quos si Deus in iudicando respiceret, iuste haberet, quod damnaret. Verum cum comparebunt iusti ante tribunal Christi, nihil ferunt secum peccatorum, quia vel hic satisfecerunt, vel in purgatorio persolverunt in hac parte, quidquid divina iustitia exigebat. — Aliter etiam et succincte respondere possumus, quod loquitur de vita seu operibus iusti, remota pietate et misericordia Dei, quae si removeatur, tollitur a iusto gratia inhaerens, Christi passio et Dei benignissimum pactum de praemiandis bonis operibus, et ita remanent opera secundum suam substantiam, et haec re vera nihil sunt apud Deum, si a caritate et gratia, a qua proficiscuntur, nuda et spoliata | considerentur. Et ideo digna „vaeh“. Si vero opera iusti cum misericordia Dei, passione Christi et pacto suavissimo ornata, ut revera sunt, ponderentur, non est illis „vaeh“, sed „euge“, ut dicitur *Matth.* 25 [21]: „Euge, serve bone „et fidelis. quia in pauca fuisti“ etc. Et ideo idem est dicere: „Vae laudabili „vitae hominum, si remota pietate iudicetur“, quantum ad <sup>a)</sup> id, quod ait *Paulus, Rom.* [8 18]: „Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram glo-  
riam, quae revelabitur in nobis“, scilicet ex se ipsis et substantia sua, si sine Dei misericordia et gratia, a qua proficiscuntur, considerentur, cum qua si coniunctae fuerint. non formidat Apostolus, cum tanta verborum emphasi pronuntiare *2 Cor.* 4 [17]: „Id quod in praesenti leve est et momentaneum tribulationis „nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur“.

Ad *Bernardum* etiam similis responsio danda est. Nam poenitentia nostra et corpus nostrum, si secundum se et suam substantiam et dignitatem Deo dederimus, nihil aut parum illi damus; secus vero est, si mea poenitentia poenitentiae Christi, quam ille pro me egit, nitatur; secus si corpus meum suo corpori et sanguini et meritis eius coniungatur, ut re vera in sanctis et iustis contingit, qui, quidquid Deo offerunt, per Christum et eius merita offerunt ac per hoc non parum, sed multum offerunt, et placet Deo poenitentia nostra et satisfactio et corpus. Unde *Paulus, Rom.* 12 [1] Romanos exhortans ait: „Ob-  
134 r „secro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora | „vestra hostiam sanctam, Deo placentem“.

Ad septimum et ultimum de morientibus distinguendum est; nam aliqui ex his, qui moriuntur, toto vitae suae tempore vixerunt et nihil iustitiae operati sunt, ut latro in cruce Christi; non possunt respicere ad innocentiam vitae anteaetae nec ad iustitiam operum, quam non habent; proinde consultissimum est, ut morientes eiusmodi confugiant ad Christi iustitiam et illius misericordiam implorent ante obitum, [ut] induat illos veste nuptiali et iustitia inhaerente, sine qua non patet aditus ad nuptias agni. Alii vero ex his, qui moriuntur, sunt sancti et iusti, cum quibus vario modo se habet Dominus. Quibusdam enim, quia non expedit filiis, non ostendit opera sua bona et vitae prioris innocentiam, sed eo tempore illis excelantur <sup>b)</sup> a Domino, ut terreantur et perturbentur et sic purgentur et proficiant, dum territi ad Dominum recurrunt et eius misericordiam, sicut scriptum est *Job* 41 [16]: „Timebunt angeli „et territi purgabuntur“. Aliis spiritu desperationis agitatis clementer Dominus succurrit, patefaciendo illis iustam et innocentem vitae rationem, quam egerunt; sic in spem et certam fiduciam eriguntur. Ideo *Paulus* instante tempore suae resolutionis ad vitam sincere et inculpate actam convertitur, dum *2. Tim.* 4 [7]

a) Wohl richtiger „est“. b) „excellantur“.



ait: „Bonum certamen certavi“ etc. Ezechias etiam audita comminatione prophetae de instante morte oravit ad Dominum et in puritate prioris vitae confisus dixit: „Domine, memento. quomodo ambu | laverim coram te in veri-  
 „tate et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis, fecerim“. 4. Reg. 134 v  
 20 [3]¹). Et Hilarion teste Hieronymo²) instante morte timorem ex se depulit — 7 14, 36  
 ex consideratione vitae sanctae et inculpatae: „Quid times, anima mea, quid  
 „times? Quinquaginta annis servisti Christo et adhuc times“? Et B. Gregorius —  
 lib. 22 Mor. c. 7³): „Sicut ergo, dum vivimus, bona nostra expellere, ne extol-  
 „lant, debemus, ita appropinquante exitu plerumque ea iuste d memoriam re-  
 „vocamus, ut videl. fiduciam praebeant et desperatum timorem premant“. Quia  
 tamen magnus conflictus est nobis cum daemone, et ex nobis non possumus  
 resistere latroni daemone volenti nos spoliare thesauro gratiae inhaerentis: iusti  
 etiam iusto a) timore interdum possunt hic b) confugere ad Christi iustitiam, ut  
 conservet nos. Non tamen verum est, omnes tales, qui sistuntur ante iudicium  
 particulare, timere; at de magnis sanctis constat, ut de Stephano, Andrea, Ja-  
 cobo, Paulo et Laurentio, qui miro desiderio mortis flagrabant et specialibus  
 Christi visitationibus consolati sunt et, dum cruciarentur et exhalarent animas,  
 in mirae fiduciae verba prorumpebant. Quinimmo cum martyrium secundum  
 omnes doctores purget ab omni peccato, et antequam sistantur tribunali par-  
 ticularis iudicii, martyrium compleverunt: plane constat, eos non timere, quia  
 timor poenam habet, quae iniuste infligeretur iam mundis et innocentibus et  
 extra viam constitutis.

Et haec sunt |, quae mihi ad priorem propositam quaestionem occur- 135 r  
 rerunt. Quae omnia, qualiacumque illa sint, iudicio sacrosanctae synodi et cen-  
 surae cuiusvis meliora docentis lubens ac promptus submitto.

a) „iusti“. b) „haec“.

1) Rectius Is. 38, 3.

2) Vita S. Hilarionis eremitae c. 45. (Migne 23, 54): Egredere, quid  
 times? Egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta (unsere Handschrift hat  
 Lta) prope annis servisti Christo, et mortem times?

3) Jetzt cap. 6 nr. 13. Migne 76, 220.